

LIX. Sicut autem felicitatis vocabulum pro diverso hominum iudicio nunc illis tribuitur, qui speciem tantum aliquam felicitatis habere videntur, ut sunt bona fortunæ, corporis: nunc autem de propria sic dicta beatitudine, quæ in actione secundum virtutem consistit, dicitur: Sic summum hominis malum sive miseria populariter significat, vel afflictam fortunam, vel simile, quod à corporis perfectione abesse videtur: Propriè autem animi improbitatem, & quæ inde nascitur vitæ malitiam.

LX. Sicut enim felicitas est animæ functio secundum virtutem perfectissimam: Ita summum hominis malum, animæ est actio secundum perfectissimum ac deterrimum vitium.

LXI. Ad constitutionem itaq; veræ miseriæ concurrunt. 1. Appetens facultas ita perversa, ut rectæ rationis iussa penitus excutiat. 2. Ratio depravata. 3. Habitus vitiorum eorundemq; perfectorum.

LXII. 4. Conjunctio deniq; omnium vitiorum. Sicut enim universalis iusticia est copulatio omnium virtutum moralium: Ita extrema malitia quædam est, quæ universali iusticiæ opponitur, & colluviem quandam omnium vitiorum in se complectitur.

LXIII. Quemadmodum autem suprâ dictum est bona fortunæ ad felicitatem, tanquam instrumenta, vel etiam ornamenta quædam concurrere: Ita sentiendum est, mala fortunæ, ut sunt paupertas, calamitates, infamia &c. principaliter quidem ipsam hominis miseriam non constituisse; nihilominus tamen accidentia illius esse ejusmodi, quæ eam propriè sic dicta miseria semper conjuncta sunt.

Atque tantum de Summo Hominis Bono, summoq; ejus malo dictum esto.

B 3

Probl.